

earum puncta: Coinciderent enim tunc prorsus duo illa extrema puncta in vnum. Quod si argumentum aliquid concluderet, nulla duo corpora possent vquam esse contigua, & immediata, quod aperte falsum est, vt perspicuum est in globo aliquo posito in aere; Nihil enim intermedium esse potest inter globum & aerem, alias daretur processus in infinitum; & tamen si per centrum ipsius globi educeretur linea recta, tangeret vtique concauum aeris, & conuexum globi. Restat igitur calos esse a se inuicem separatos atque contiguos, de quorum ordine nunc disputandum est.

EX ANTIQVIS igitur nonnulli, quorum dux fuit Aristarcus Samius 400. annis ante Ptolemaum, quem ex recentioribus secutus est Nicolaus Copernicus in opere de reuolutionibus caelestibus, hunc ordinem inter corpora totius vniuersi consinxerunt, vt Sol in centro, seu medio mundi immobilis sit collocatus; circa quem orbis Mercurij; deinde orbis Veneris; circa hunc orbis magnus Terram vna cum Elementis, & Luna continens; circa quem orbis Martis; deinde calum Iouis; postea globus Saturni; vltimo tandem stellarum fixarum sphaera sequatur. Verum haec opinio multis experimentis refragatur, & communi omnium philosophorum, Astrologorūq; sententia: Debet enim terra consistere in medio totius mundi, vt postea demonstrabimus plurimis experimentij; ac phenomenis.

VETVSTISSIMI autem Aegyptij, Plato in Tymæo, Arist. in 2. de celo cap. 12. & 1. Metereo. cap 4. putarunt hunc esse ordinem in sphaeris caelestibus, vt infimum locum occuparet Luna; hanc statim subsequeretur Sol; hūc Mercurius; deinde Venus; quinto Mars; Sexto Iuppiter; septimo Saturnus; octauo deniq; calum stellatum, seu firmamentum. Solus Aristoteles in libello de mundo ad Alexandrū (si tamen ipsius est) Venerem immediate supra Solem, & sub Mercurio statuit. Sed talis quoq; ordo Planetarum, calorum ue iam dudum ab Astrologis est refutatus.

STATVIMVS igitur cum Ptolemao, & Ioan. de Regiomon. illum ordinem calorum, quem auctor noster supra recitauit, ita vt Luna primum locum occupet, seu infimum, supra quam Mercurius collocetur, tertio loco Venus subsequatur, quarto Sol, quinto Mars, sexto Iuppiter; septimo Saturnus, octauo & postremo firmamentum. Vides igitur omnes opiniones in eo conuenire, vt calum stellarum fixa-